NICOLAVS OBORSKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPVS LAODICENSIS, SVFFRAGANEVS,

Scholaſticus, & Sede vacante Epiſcopatus Cracouienſis, ac Ducatus Seuerienſis,

GENERALIS ADMINISTRATOR.

EXpectata omnium deſideriis gaudia, differre interdum longiùs, Altitudo Sapientiæ, & Scientiæ DEI, *arcano ſuo ineffabili conſueuit; vt cum omnia diſponat ſuauiter, etiam zelo pietatis anxias ſupplicantium moras, tanto maiori ſolatio rependat. Diu id actum eſt, cum ardentiſsimis, non Celeberrimæ tantum Vniuerſitatis Cracouienſis, ſed totius quoq; Poloniæ Votis; quæ pro Eximio Seruo Dei B. IOANNE CANTIO, Vitæ Sanctitate, & Miraculorum gloriâ clariſsimo, Sacris honoribus ornando, multum auideq; ſolicita, expectatione tanti beneficij tenebantur. Cùm ecce immenſa Dei bonitas, manum ſuam non eſſe abbreuiatam oſtendens, commune hoc fidelis Populi ſui deſiderium, ſuper effluenti nuper lætitiâ compenſauit. Proceſſu quippè ſuper Vita & Miraculis Beati huius Viri, iam deducto, & à S. Sede Apoſtolica approbato; inclinauit tandem Diuina bonitas, SS. D. Noſtri INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ XI. Paternam, & piiſsimam mentem; vt ad Regiam, & verè Chriſtiano Principe dignam, Sereniſsimi & Inuictiſsimi Regis Noſtri IOANNIS III. interceſsionem; magna, & zeloſiſsima promotione, Eminentiſsimi PETRI Vidoni S. R. E. Cardinalis, Protectoris Regni Poloniæ; ſolicitè id agente, Illuſtriſsimo & Excellentiſsimo MICHAELE DVCE RADIVILLO, ad S. Sedem Apoſtolicam cum Obedientia Oratore Extraordinario, Miſſæ & Officij de hoc Beato Viro, Feſtiq; eius per totum Regnum Poloniæ celebrandi, conceſſerit facultatem. Quæ quidem gratiâ felicitati temporum Noſtrorum reſeruata, cum omnibus fuerit ſummè expetita; eſt proinde cur eâ, Eccleſia Dei, cum Regno Poloniæ, lætetur; eſt cur præcipuè Diœceſis Noſtra, quæ ſacro Cinerum eius depoſito in Vrbe Cracouienſi gaudet, Lætitia Spirituali diffluat, cùm nouum hoc Sydus in Eccleſia Dei, & Patria Noſtra exortum, exhilarata omnium pectora, ad ſpem Clementiæ Diuinæ mirificè erigat. Quemadmodùm igitur exinde, & Nos ipſi incredibilem animo lætitiam concepimus; ita ad hanc communicationem Spiritualem gaudiorum, omnes Chriſti Fideles, ac præcipuè in Statu Eccleſiaſtico Diuina Vocatione, per Diœceſim Noſtram conſtitutos, in Domino excitamus, paterneq; ab iis requirimus; vt Deo Præpotenti, à quo omne datum optimum deſurſum venit, Solennes pro tanto beneficio gratias inſtituant, Miſſamq; Votiuam de SS.* TRINITATE *offerant; vt Mirabilis in Sanctis ſuis Deus, laudetur in iis; atq; vt efficaci Beati huius Viri interceſsione placatus, Regnum hoc à vindicta indignationis ſuæ liberet, & contra barbaras gentes tueatur.*

Quod vt alicuius fiat, Traſſumptum Breuis Apoſtolici, hîc inſeritur.

In Nomine Domini, Amen.

CVnctis vbiq; pateat euidenter, & ſit notum; quod anno à Natiuitate D. N. IESV CHRISTI, Milleſimo Sexcenteſimo Octuageſimo, Indictione tertia, die verò tertia Menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſimi Domini Noſtri D. INNOCENTII PP. XI. Anno eius quarto. Ego Notarius infra ſcriptus vidi, legi, & diligenter inſpexi quoddam Breue Apoſtolicum, ſub annulo Piſcatoris expeditum, ſanum, integrum, & non vitiatum; cuius tenor ſequitur videlicet:

INNOCENTIVS PP. XI. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SOllicitudo Paſtoralis Officij, quo Catholicæ Eccleſiæ per Vniuerſum Orbem diffuſæ regimini diuina diſpoſitione præſidemus, Nos vrget atq; impellit; vt Beatorum in Cælis cum Chriſto regnantium cultum, & venerationem in terris promouere ſtudeamus, ſicut pia Regum Orthodoxorum Studia poſtulant, & Nos locorum & temporum qualitatibus maturè perpenſis, ad Omnipotentis DEI gloriam, ad Eccleſiæ decus & præſidium, ac ad Spiritualem fidelium ædificationem, atque conſolationem conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Cùm itaque alias videlicet de vigeſima prima Martij Milleſsimi Sexcentiſsimi Septuageſimi Sexti, Congregatio tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium, Sacris ritibus præpoſitorũ propoſito per dilectum Filium Noſtrum PETRVM eiuſdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Vidonum nuncupatum, ac diſcuſſo dubio, An Sententia dudum, à tunc exiſtente Epiſcopo Laodicenſi, Delegato Apoſtolico lata ſuper cultu immemorabili, qui Beato IOANNI CANTIO Presbytero Sæculari, Sacræ Theologiæ Doctori, & in Vniuerſitate Studij Generalis Cracouien. Profeſſori, exhibitus fuiſſe dicebatur; ac ſuper caſu, excepto à decretis felicis Record. VRBANI PP. VIII. prædeceſſoris Noſtri, in Congregatione Sanctiſsimæ Inquiſitionis ſuper non cultu editis, eſſet confirmanda, cenſuerit conſtare de cultu immemorabili, & Sententiam præſcriptam eſſe confirmandam; hancq; Congregationis præſcriptæ reſolutionẽ recentis memoriæ CLEMENS PP. X. etiam prædeceſſor Noſter, die vigeſima octaua, eiuſdẽ Menſis Martij approbauerit. Nunc verò Chariſsi[illegible]s in Chriſto Filius Noſter, IOANNES Poloniæ Rex Illuſtris, pro ſingulari ſua erga eundem B. IOANNEM CANTIVM deuotione, illius honorem, & venerationem in Reg[illegible] Poloniæ opportunis rationibus propagari, & ampliari plurimum deſideret. Nos ipſius IOANNIS Regis pio deſiderio, hâc in re quantum cum Domino poſſumus, fauorabiliter annuere cupientes, Supplicationibus eius Nomine, Nobis per dilectum Filium, Nobilem Virum Ducem MICHAELEM RADZIWIŁ, eiuſdem IOANNIS Regis Oratorem, ad præſtandam Nobis; & huic Sanctæ Sedi Apoſtolicæ debitam obedientiam, ab ipſo IOANNE Rege miſſum, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; vt in poſterum quolibet Anno, die Anniuerſario obitus memorati Beati IOANNIS CANTII, poſſit de illo recitari Officium, & celebrari Miſſa de Communi Confeſſorum non Pontificum, in Ciuitate Cracouiæ, & in toto Regno Poloniæ, ſub ritu duplici, iuxta rubricas Breuiarij, & Miſſalis Romani, ab omnibus vtriuſq; Sexus Chriſti fidelibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium Concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt earũdem præſentiũ litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, & impreſsis manu alicuius Notarij Publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate munitis, eadem prorſus fides, tàm in Iudicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur; ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die trigeſima Septembris, M. DC. LXXX. Pontificatus Noſtri Anno Quarto, inferius ſignatum. I. G. Slufius, Loco Sigilli ✠. Quo quidem Breui viſo, lecto, & perlecto, hoc præſens Ttanſſumpti inſtrumentum confeci; vt illi ſtetur firmiterq; in Iudicio, & extra illud fides eadem habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi eſſent oſtenſæ. Actum Romæ, Anno, Indictione, die, Menſe, & Pontificatu quibus ſupra. Præſentibus ibidem R. R. D. D. Toſſano Malaiſſe. & Ioanne Lizent Sacerdotibus Leodien. Dioz Teſtibus ad præmiſſa omnia habitis. Præinſertæ Literæ Apoſtolicæ reuiſæ, cum ſuo Originali concordat Balthaſar Paineus Officialis deputatus.

Locus ✠ Sigilli. S Daãrius. Jta eſt Innocentius Laurentij Canc: Apoſtolicæ Notarius. Locus ✠ Sigilli.

NICOLAVS OBORSKI, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPVS LAODICENSIS,

Suffraganeus, Scholaſticus, & Sede vacante Epiſcopatus Cracouienſis, ac Ducatus Seuerienſis, Generalis Adminiſtrator.

VNiuerſis, & Singulis præinſertum Breuis Apoſtolici Tranſſumptum, viſuris, lecturis, & audituris, Significamus, & ad plenam, ac indubitatam notitiam deducimus. Quia Nos viſo pariter, ac lecto Authentico Tranſſumpto Breuis Apoſtolici, in pargamæno ſcripto, alias in forma probanti confecto ſuper celebratione Miſſæ, ac recitatione Officij de Beato IOANNE CANTIO emanato, ſano, illæſo, & omni vitio ſuſpitionis carente, illud in omnibus, & ſingulis contentis iuxta præinſertam vim; formam, ac tenorem authoritate Ordinaria admiſimus, facultatemq; publicandi huiuſmodi Indult, in omnibus Eccleſijs per & intra Diœceſim Cracouien. necnon Exemplaria imprimendi conceſsimus. In quorum fidem, &c. Datum Cracouiæ in ſolita Reſidentia Noſtra, die quarta Menſis Nouembris. Anno 1680.

NICOLAVS OBORSKI,
Epiſcopus Laodicen. Suffr. Crac.

22574

1680

Publicae concessi Pe... et affixi
... Sancto

46.